



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

LXVI. Si quis fuerit infamatus, accusatoribus deficientibus, debet se
purgare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

ce nuntiari, vt si qui de hoc ipsum archidiaconum accusare voluerint, eum secundum iuris ordinem coram vobis accusent, & nisi comparuerint, qui de homicidio illo eum velint impetere, causam conuocatis partibus audiatis, & sublato appellationis obstaculo, debito fine terminetis. Si vero publica & manifesta denuntiatione facta, infra quadraginta dies accusator non apparuerit, vel etiam in probatione defecerit, prædicto archidiacono secundum quantitatem infamiae, qua laborat, purgationem canonicam imponatis: & ea præstita & recepta, ipsum a nota infamiae, contradictione & appellatione cessante, absolutum publice nuntietis, & faciatis absolutum haberi.

CAP. LXVI.

Idem vniuersis Suffraganeis Cantuariensis ecclesiae.

Cum non ignoretis B. venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum vobis non solum metropolitico, sed etiam iure legationis præesse, mirabile satis est, quod quidam vestrum (sicut audiimus) asseuerare præsumunt, quod idem archiepiscopus nullam causam de episcopatibus vestris, siue iure legationis, siue metropoleos, audire debeat, nisi per appellationem factam ad ipsum. Sane licet forte metropolitico iure non debeat causam audire de episcopatibus vestris, nisi ad eum per appellationem deferatur, legationis tamen obtentu vniuersas causas de ipsis episcopatibus, quæ per appellationem vel querimoniam aliquorum perueniunt ad audientiam suam, audire potest & debet, sicut cui in prouincia sua vices nostras gerere comprobatur. Mandamus itaque vobis atque præcipimus, quatenus causas, quæ de episcopatibus vestris ad eundem archiepiscopum perferuntur, eius iudicio relinquatis: nec quemlibet clericum aut laicum vestræ iurisdictionis de cetero deterrere vel impedire tentetis, quo minus causas suas ad præfatum archiepiscopum, si voluerint, possint transferre.

CAP. LXVII. *Clemens III. Saguntino episcopo.*

Peruenit ad nos, quod in episcopatu tuo sæpe contingat, quod a laico enormis & intolerabilis iniuria clerico, multis adstantibus & videntibus, inferatur, vt plebe præ-

Ccccc iiij